DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

HYDROTHORACE

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS GREVILLE,

Anglus.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.

VIRO SPECTATISSIMO

HENRICO OLDKNOW, ARMIGERO,

COLLEGII REGII CHIRURGORUM LONDINENSIS,

SOCIO,

&c. &c.

ARTIS APOLLINARIS PERQUAM SCIENTI,

NECNON

INGENIO ACRI EXORNATO,

QUO AUSPICE,

REI MEDICÆ PRINCIPIA DIDICIT;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMO GRATISSMO,

SUMMAQUE OBSERVANTIA,

D. D. CQUE.

ALUMNUS

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

HYDROTHORACE

COMPLECTENS.

Auctore CAROLO GREVILLE.

PRÆFANDA.

INTER graviores et exitiosiores eorum morborum, qui genus humanum adoriri solent, jure dirus hydrops recenseri potest. Quippe qui actiones vitæ flammæ alendæ necessarias haud raro vehementer impedit; longeque sæpius, cum habitu corporis malo, valetudineque fracta, arcte sociatur. Hydrope vero de omnigeno agere ne-

quaquam in animo est; nec sane limites angusti, quibus opuscula hujusmodi contineri solent, argumentum tam late patens, rite penitusve explorari, sinunt. Mihi in animo est, summos medicinæ honores ambituro, pauca de *Hydrothorace* disserere. Priusquam vero rem ipsam aggrediar, haud alienum duco quædam de membranis *serosis*, sede hydropis propria, diputare.

Hydrops hisce verbis satis recte definitur: "Exhalatio seri justo copiosior, apud aliquam membranam *serosam*: membranis simul *mucosis* æquo minus secernentibus." Quot igitur membranæ *serosæ* sint, tot sint hydropis genera necesse est.

Membranæ *serosæ* sunt, quæ pellucidæ, densæ, vi insigni resiliendi præditæ, ex altera parte cum proximis committuntur, tela reticulata et vasis huc operam conferentibus; ex altera, liberæ et solutæ latice tenui humectantur, capsulasque occlusas constituunt. Hujusmodi sunt membranæ cerebro, *chordæ*que spinali circumjectæ; *pleuræ*, cordis capsula, *peritonæum*, testiculi tunicæ, aliæque minoris momenti, quas hic memorare non opus est. Huc fortasse jure accedit tela reticulata, harum omnium genitrix; ex qua scilicet

densata membranæ omnes *serosæ* conficiuntur. Hydropem igitur ad duo capita referre licet; modo nimirum membranas cerebri, pectoris, abdominis, &c. male habet; alias, telæ reticulatæ cavernas afficit. Illuc *Hydrocephalus chronicus*, *Hydrothorax*, *Ascites*, *Hydro-cardia*, *Hydrocele*, *Hydro-rachitis*, &c.; huc vero *Anasarca*, pertinent.

Arteriæ innumeræ hasce membranas latice tenui assidue madefaciunt, qui, quo minus superfluat, vasa quoque absorbendo accommodata ibidem patescunt (venæ sint an vasa *lymphatica*, parvi interest, nec inquirere proposito convenit); undecunque igitur illæ concitentur, aut hæc hebetentur, hydropem exinde nasci oportet.

Hydrothorax est laticis aquosi plus æquo alterutri vel utrique *pleurarum* inhærens: quidam porro, hac voce usi, pulmonis quoque *œdema* complectuntur.

Hæcce præfatus, ad signa *hydrothoracis* proponenda transibo.

DE DEFINITIONE ATQUE SIGNIS.

CULLENUS *Hydrothoracem* classi CACHEXIÆ ordinique INTUMESCENTIÆ subjectum, hisce definivit verbis: "Dyspnœa, faciei pallor, pedum œdema; urina parca; decubitus difficilis; subita et spontanea e somno cum palpitatione excitatio; aqua in pectore fluctuans."

Hic morbus per insidias aggredi solet; nec prius ægro metum incutere cœpit, quam aliquamdiu permanserit. Tandem sensus gravitatis in imum os pectoris incumbit. Spirandi difficultas exercet, præsertim inter ambulandum in acclivibus locis, homineve cubante. Quod si latex uni lateri soli subest, ægro in alterum decumbere non licet. Tussis crebra summam affert molestiam, initio sputi expers; tandem excreatur pituita tenuis. Pedes talique aqua intercute intumescunt, præsertim tempore vespertino. Demum respiratio eo usque impeditur, ut ægro, nisi erecto anhelare vix liceat. Noctu, nisi capite et trunco pene erectis, æger nulla perfruitur quiete. Parum dormit; si vero somno se committit, de-

repente excitatur, somniis horrendis perturbatus; seque mox strangulandum pertimescens aëra puriorem exquirit. Cor inter hæc palpitat, musculique spiritui dicati convelli videntur. Secernenda et excernenda parum secernuntur et excernuntur: homo vehementer sitit; urina redditur parca, rufa et crassa: vultus expallescit; interdum tumet, ita ut tumor digito prementi cedat, vestigiumque aliquamdiu retineat: vires dilabuntur et corpus tabescit: hæc mala sensim ingravescere pergunt. Oculi huc illuc crebro voluti summum animi angorem insigniunt: vultus perinde extenuatur atque pallescit, quasi homo exanimis esset: labra purpurascunt. Ad ultima ventum esse testantur artus frigentes, arteriarum motus exilissimus, abnormis, subinde aliquamdiu pene quiescens; sensusque eo usque hebetatus, ut æger penitus soporari videatur. Quæ mala exoptanda morte tandem finiuntur.

Quidam hydrope pectoris laborantium motum laticis inclusi sentiunt, quoties ex improviso e lecto assurgunt, aliundeve exagitantur. Nonnullis, brachiorum alterum aut utrumque plus minusve torpet: utricunque autem laterum humor adsit, ejusdem brachium male se habet. Alios

dolor inter scapulas tentat. Nec desunt aliæ notæ; quas tamen, levioris equidem momenti, prætermittere, quam inutiliter sermonem producere malui.

DE CADAVERE INTROSPICIENDO.

PATEFACTIS hoc diro malo absumptorum corporibus, multa secus atque fert natura oculis obveniunt. *Pleurarum* alterutra vel utraque latice aquoso scatet: cujus aliis paucæ unciæ, aliis plures libræ, subesse solent. Aliquando *hydatides* reperiuntur, vel *pleuræ* adnexi, vel latice missti: qua re perspecta, SAUVAGESIUS *Hydropem Hydatidosum* inter *species* recensuit. Quibusdam *Pericardium* sero redundat. Pulmo, quippe quem liquor circumfusus graviter oppresserat, nec rite spritu tumefieri siverat, æquo densior esse consuevit, jecinori quam sibi ipsi sano, fabricam, similior: nec raro cavernæ telæ reticulatæ ejus propriæ latice præter naturam, abundant. Aliis alia contingit humoris intus profusi indoles: seri sanguinis instar, tepefactus concrescere solet:

modo subflavus est, modo subruber: alias particulæ *fibrinæ* ei innatare inveniuntur.

Persæpe, *pleura* costis circumjecta alteri ad pulmonem attinenti ultra naturam adhærescere observatur; quoties nimirum, inflammatio hunc morbum antecessit et genuit.

Quinetiam, cor et vasa grandia ei proxima, plurima vitiosa sæpe exhibent: quæ, quoties obveniunt, inter causas mali propositi excitantes habenda sunt. Horum præcipuæ sunt, *valvulæ* in naturam cartilagineam aut osseam versæ, præsertim *valvula mitralis:* atria cordis amplificata; necnon arteria magna ossea, vel *aneurismate* tumefacta; maximeque, ubi se arcuat.

DE CAUSIS.

CAUSÆ morborum duplicis generis sunt: ABDITÆ atque EVIDENTES. *Abditæ* vocantur, quæ corpora ad morbos subeundos procliviora reddunt: EVIDENTES, quæ, proclivitate existente, admotæ morbos ipsos inferunt. Huc porro accedunt causæ CONTINENTES, sive PROXIMÆ. De quarum sin-

gulis, quod ad morbum propositum spectat, paucis disserendum.

De Causis Abditis.—Vires fractæ, senio an luxu, an intemperantia, an aliunde id evenerit, præsertim homines ad hydropem propensos faciunt: neque simul non fateor, plenos atque vegetos subinde in eundem incidere. Uter sexuum aptior sit, quem hydrops pectoris aggrediatur, haud inter medicos convenit. Mares profecto causis evidentibus, id est, excitantibus, sæpius magisque patent: fœminas contra, ob indolem corporis molliorem, natura finxit opportuniores. Obesi, laxi, *temperamento*que *leucophlegmatico* instructi, facile in hunc incidunt morbum. Mediam transgressi ætatem frequentius et facilius, cæteris paribus, quam pueri aut juvenes, eodem ægrotant; eo quod venæ senioribus lentius ad cor dextrum sanguinem perducunt, ideoque pleniores fiunt; id quod hydropi potissimum favet. Hæc plenitudo venarum ad senium vergentibus contingit; eo quod cor lævum actione diuturna infirmatum rivum minus amplum arteriis committit; hæ vero rigentes, ideoque vi resiliendi quodammodo destitutæ, minus flumini accepto cedunt: quod porro,

venæ ipsæ sensim flexiliores et molliores factæ ex facili distenduntur. Denique, uti robur sanguinis profluvio, concubitu nimio, alvi dejectione, labore quæsitiori animi aut corporis, vel quavis alia noxa istiusmodi labefactatum, proclivitatem gignit; sic quoque aliquando ipsum per se hydropem molitur: vires enim contritæ efficiunt, ut vascula exhalantia laxata plus æquo laticis spirent; absorbentia minus æquo auferant.

De Causis Evidentibus.—Causæ excitantes duplicis sunt generis: nimirum, I. Quæ fabrica partium interiorum, præcipue cordis et pulmonis, vitiosa, continentur: II. Quæ toti corpori admoventur, integra viscerum fabrica.

I. Notatu dignum existimo, causas omnes, quæ corde, pulmone, aliisve partium interiorum, vitiosis continentur, cursu sanguinis per venas, non *lymphæ* per vasa *lymphatica*, impediendo, hydropem parire: id quod, me judice, haud est levissimum plurium istorum documentorum, unde venas, non vasa *lymphatica*, absorbendi officio perfungi judicamus.

Hujusmodi sunt valvulæ cordis duratæ vel osseæ; sive *tricuspis,* sive *mitralis:* valvulæ *aortæ* arteriæve *pulmonicæ* ineuntis propriæ eodem vitio affectæ: ventriculorum alteruter dilatatus: *aorta,* præsertim, ubi se arcuat, *aneurismate* vitiosa. Hæc omnia hydropem arcessunt pectoris, obstando, quo minus sanguis per venas ad cor facile reducatur: quibus ideo præter naturam tumefactis, gignuntur initio *hydrothorax,* denuoque serius ocyus *ascites* atque *anasarca.* Huc accedunt pulmonis morbi, præsertim *asthma* atque *peripneumonia;* nec non vena *azygos* oppressa, variceve infirmata. Illi hydropem pectoris afferunt, sanguinis cursu per arteriam et venas *pulmonicas* tardando; quo fit ut cor dextrum, vena *cava thoracica,* tandemque venæ pectoris omnes impleantur; ideoque arteriæ plus justo laticis profundant. Hæc vero, sanguini per venas *intercostales* reduci occurrendo.

Pleuræ inflammatio in Hydropem aliquando desinit; maximeque, si medicus inexpertus venas minus æquo vacuefacit. Usus enim edocuit, uti venæ præter modum depletæ aqua intercute sæpe excipiuntur, sic quoque sanguinem, *pleura*

vel pulmone inflammato, parcius missum in *hydrothoracem* persæpe abire.

Jecur grandius et duratum, *ascitem* frequentius, hydropem pectoris aliquanto rarius, molitur: illum, vena *portæ* opprimenda; hunc ratione multiplici; scilicet, corpore infirmando; siquidem jecinore opus est integro, quo cibi rite concoquantur, eoque corpus alatur; *aorta* premenda, unde arteriæ pectoris plus, quam fert natura, sanguinis accipiunt; denique septi transversi actione impedienda; quo efficitur, ut, sanguis pulmonem non rite ampliatum ægre permeet.

II. Proximum est, ut causas toti corpori admotas, integris visceribus, inquiramus.

Hujusmodi sunt cutis malis *exanthematicis* affecta subito deflorescens; præsertim, *Scarlatina, Erysipelate, Rubeola,* atque aliis. Quævis exinanitio derepente suppressa; veluti, fluxus *hæmorrhoidalis,* menstrua, sudor: necnon causæ omnes, quæ vires animi et corporis conterunt. Neque vero affirmare volo, noxas omnes debilitatrices pariter hydropem movere. Huc potissimum operam conferunt cursus sanguinis amplior, sive arte moliente sive sua sponte illatus; alvi dejectiones

crebræ et copiosæ; intemperantia omnigena, et quæ sunt ejusdem generis. Nosse simul juvat, hasce causas sæpius aquam intercutem, quam pectoris vel abdominis hydropem, arcessere.

DE SIGNORUM RATIONE.

Hucusque absoluto argumento proposito, sequitur ut rationem signorum patefacere nitar. Missis levioribus, in animo est præcipuis unicis insistere.

Spirandi difficultas latici pulmonibus circumjecto debetur: quo in tantum gravantur, ut neque viæ spiritales aëre rite intendi, nec facile sanguis vasa permeare, queant.

Spiritus, ægro erecto quam supino expeditior est, eo quod cubanti latex faciem pulmonis universam æqualiter gravat. Erecto contra ægro, humor suo nutu deorsum fertur; unde pulmo parum opprimitur, actioque septi transversi juvatur.

Homo in latus affectum facilius decumbit, quoties unicum hydrope laborat: quod pulmo la-

teris integri, ægro in partem sanam jacente, ab humore huc inclinato premitur.

Aqua pedum crurumque intercus causam hic duplicem agnoscit. Hydrops pectoris ipse per se hanc infert notam, sanguinis motu per pulmonem tardando; quo fit ut ægre ad cor dextrum per venas *cavas* redux venis totius corporis, ideoque artuum inferiorum, superfluat; quod sequitur, ut arteriæ sodales magis solito seri exhalent. Quinetiam, resolutio virium haud parum operæ confert ad aquam pedum et crurum intercutem, inferendam: efficiendo scilicet, ut vascula exhalantia plus laticis excernant, absorbentiaque minus auferant.

Motus cordis abnormis triplici nascitur causa: una perpetua, duabus adventitiis.

Causa præcipua est ventriculus dexter æquo plenior, ob sanguinem ægre et tarde per pulmonem traductum; interdum *Hydro-cardia* morbo proposito adjuncta, necnon valvulæ osseæ vel duratæ, huc operam conferunt.

Brachiorum alterum vel utrumque torpet; eo quod humor pectore inclusus nervum *phrenicum* gravat: unde *plexus axillaris*, eodem pene fonte oriundus, torporis fit particeps.

Secernenda atque excernenda suppressa arteriis minus æquo sanguine refertis debentur. Hoc vero paulo fusius exponere visum est. Siquidem arteria *pulmonica* sanguinem venarum omnium pulmoni tradit, quo ibi ex purpureo læte rubescat; corque lævum atque *aorta* rivum vitalem a venis *pulmonicis* unice deducunt; undecunque sanguis ægrius tardiusque pulmonem permeet, exinde venæ præter modum intumescant, arteriæ flacceant, et depleantur, necesse est. Nihil autem hydrope pectoris hæcce moliendi potentius est. Quum igitur arteriæ solito egent incitamento, propriis officiis languide et male funguntur; quo fit ut minus quam valetudine integra secernant et excernant. Hinc nascuntur urina rufa et parca, cutis arida, fauces siccæ, sitis, tussis sputi expers, alvus tarda, et quæ sunt hujusmodi.

DE DIAGNOSI.

Morbus, quem prosequor, notis tam lucidis depingi solet, ut artis medicæ expertus, vix aut ne vix quidem errare possit. Illud equidem in-

terdum fallit; quod alii morbi, potissimum ejus genitores, cum hydrope pectoris sociantur; sic ut, quis eorum princeps sit habendus atque præcipuus, non semper pateat. *Hydrothoracem* præsertim simulant *Asthma, Empyema, Hydrops pericardii*, atque *Aorta*, ubi se arcuat, *aneurismate* vitiosa. Quæ mala, quo pacto ab hydrope pectoris discernantur, paucis ostendere nitar.

Asthma *hydrothoraci* eo distat, quod integritatibus interjectis, modo accedit, modo quiescit: noctu porro derepente hominem invadit; atque inter inspirandum sibilus editur: tussiendi porro atque eloquendi difficultas exercet: quibus notis hydrops pectoris caret. Quinetiam, mala *asthmatis* propria, adventante aurora, pituita viscida exscreata solvuntur. Huc accedit motus cordis et arteriarum *hydrothorace* tortis abnormis; cui tamen parum insistendum opinor; siquidem *asthma* corde vitioso aliquando nascitur.

Empyema morbum, de quo agimus, haud parum refert: pus enim an serum pulmonem gravet, eorum alterutrum, percusso vel exagitato pectore, fluctuet, necesse est. Utrumque efficit ut homini, nisi erecto, anhelare vix liceat; necnon

ut in latus onustum quam integrum cubare sit facilius. Interest tamen, quod inflammatio prægressa unica *empyematis* est genitrix; *hydrothorax* aliunde nascitur; quod febris *hectica* illi contingit, huic deficit: illique desunt notæ hydropis communes, nimirum aqua pedum intercus, urina rufa et parca; vultus lapsus, labra livida, et quæ sunt hujusmodi. Denique, hoc præ illa vexatis cor arteriæque imparibus saliunt intervallis.

HYDRO-CARDIA nonnunquam cum *hydrothorace* sociatur: opinione tamen multo rarius. Usu enim docti nuperi didicerunt, *hydro-cardiam* longe sæpissime membranarum cordis inflammationi supervenire. Quem torquet *hydro-cardia*, ei respiratio, corpore prorsum inclinato quam erecto; erecto quam supino, expeditior est: *Hydrothorace* contra laboranti, vix nisi erecto, spirandum est. Manu apici cordis imposita, ictus duplex, et quasi latior quam fert natura esse videtur; atque infra sedem solitam sentitur. Huc adjici possunt sensus humoris, contrectante digito, undantis, et signa cordis malorum communia. Quibus perspectis, vix medicus errare poterit. Perlecto libro LÆNNECIANO, invenire nequeo *Ste-*

thoscopium luce aliqua nova *hydro-cardiam* illustrare.

Arcus aortæ aneurismate vitiosus haud raro hydropem pectoris progignit: quo fit, ut hi morbi subinde eidem eveniant. Etiamsi vero non coëant, quædam tamen utrique communia medicum discernendi parum studiosum decipere possunt. Mala *aneurismate aortœ* exorta tarde obrepunt: at vero loquendi et vorandi difficultas, ciborum concoctio languida aut nulla, pulsus arteriarum perquam exiles, maximeque carpi lævi; cordis motus vehemens et abnormis; animæ defectio crebra; tandem vero (quod non est perpetuum) tumor saliens ossi pectoris subnixus, medicum ancipitem hærere haud sinunt. Quod ad *Stethoscopium* attinet, me parvi id habere instrumentum, veluti *hydrothoracis* indicem, confiteor. Lænnecius enim ipse, ejus auctor clarus, affirmare haud dubitat, *Stethoscopium* hanc unicam notam patefacere: nempe, murmur spiritale, ubique pectoris, radice pulmonis excepta, persentiri non posse. Quum vero id hydropi pectoris cum *hœmathorace, empyemate, pneumothorace* aliisque morbis commune est; judicare opor-

tet, istud instrumentum, ad *hydrothoracem* patefaciendum, prorsus esse inutile.

DE PROGNOSI.

Perraro hydrope pectoris tentati non periclitantur: longe enim sæpissime valetudinem fractis maloque corporis habitu præditis hic morbus contingit. Quoties corde, pulmone, vasis grandioribus aut jecinore vitiosis, proficiscitur, exitum infelicem expectare oportet: nulli enim arti medicabilis est morbus, cujus causæ corporis penetralibus infixæ radicitus summoveri nequeunt. Eoque pejus est, huc accedere vires ebriositate diuturna, luxu, gula, concubitu nimio, seniove labefactas.

Salvus esse non potest, imo vero procul dubio cito periturus; cui, corde vitioso, summa cutis perfriget et madet: cui crura, pedes, brachia et manus intumescunt, solitoque vacant tepore; cui labra purpurascunt; urinaque et stercus, animi injussu, elabuntur: cui porro, inter hæc, anhelare, nisi trunco corporis erecto, vix licet.

Tussis pituitam exscreatura modo spem salutis recidivæ, alias metum incutit, prout aliæ se habeant notæ. Si nimirum pituitæ multum extussitur, nec difficulter; si spiritus simul, citra laborem, trahitur et emittitur, neque robur deficit, nec aqua intercute pedes et crura turgent: haud equidem salutem illico redituram judicamus; at certe malum eventum non instare auguramur.

In præcipiti contra versatur, qui graviter spirat, ægerrime pituitam extussit; cuique, viribus indies concidentibus, artus perquam intumescunt.

Non desperare oportet, si, integris visceribus, tempestivam medicina opem præbet.

Denique, si hydrops pectoris *pleuræ* aut pulmonis inflammationem excipit, de exitu non desperandum. Uti enim *anasarca*, venis præter debitum vacuefactis, huic inflammationi supervenire solet; sic quoque hydrops, de quo agimus, *pneumoniam* non tempestiva depletione victam et debellatam, sequi consuevit.

DE MEDENDI RATIONE.

Ars medica rarissime hydrope pectoris implicatis succurrit; quippe quibus vitæ ipsius flamma fere languet; id est, habitus malus corporis, roburque ætate provecta, atque aliunde contritum, eveniunt. Huc accedunt fabrica cordis vitiosa aliæque causæ interiores, medici artem falsura.

Triplex vero consilium exequendum curationem hujus mali idoneam amplectitur. Oportet, nempe, I. Laticem pectore inclusum auferre; II. Causas excitantes tollere vel arcere; III. Vires refocillare; quo melius respondeat curatio antea dicta; necnon, quo minus hydrops recidat sublatus.

I. Duplici ratione latex subduci solet; aut medicamentis ingestis, aut arte *chirurgica.* Legi autem perpetuæ ferendum est, hac non prius utendum esse, quam illa jam rite præcepta nihil profuisse videantur.

Iis potissimum medicamentis utendum est, quæ alvum, urinam, sudorem, vomitum et sputum moveant. De quorum singulis proximum

est, ut pauca literis mandem: nec vero alienum judico prius inquirere, qua ratione remedia jam proposita *hydropicis* succurrant. Quidam contendunt hæc omnia, maximeque, urinæ alvique moventia hydropem tollere, vasis resorbentibus incitandis: in quorum sententiam jurare nequeo. Hydropis omnigeni est humores, qui membranas *mucosas* madefaciunt, supprimere, certeve imminuere. Quum igitur auxilia medicinæ jam relata hos omnes admodum augent, neque alium effectum evidentem moliuntur; judicare oportet, opem, quam afferunt, exinde proficisci; nimirum, humores circumeuntes ad membranas *mucosas* transferri; id est urinam, alvi dejectionem, sputum, sudorem, &c., promoveri; ideoque minus, quam antea laticis in capsulas *serosas* fundi: quo fit, ut humor jam iis inclusus, vasis resorbentibus modo solito nitentibus, tandem subducatur.

De Alvi moventibus.—Alvi moventia duplicis sunt generis: scilicet quæ fibras motrices intestini unicas cient; ideoque non nisi stercus dejiciunt: necnon, quæ non solum fibrarum motum concitant, verum etiam arterias secretrices, glan-

dulasque *mucosas*, stimulant; et inde dejectiones liquidas faciunt. Hæcce unica *hydropicis* opitulantur: quo pacto auxilientur, jam proposui. Maxime conveniunt *convolvuli Jalappæ* radix, *gutta Gambogia*, *Sub-murias hydrargyri*, *momordica Elaterium*, *Cucumis Colocynthis*, atque sales medii.

De Urinæ moventibus.—Vix aliqua remediorum in hydropem utilium iis, quæ renes incitant, antecellunt: quippe quæ efficiunt, ut citra vires exinde fractas, humoris plurimum excernant. Radix *Scillæ maritimæ*, *Digitalis purpureæ* folia, Oleum *Juniperi communis*, *Spiritus Ætheris Nitrosi*, *Acetas Potassæ*, et *Supertartras Potassæ*, potissimum ministrari solent. Quoties jecur vitiosum est, *Submurias hydrargyri* rite *Scillæ maritimæ* adjicitur. Si vires vitales plurimum dilabuntur, Spiritus *Juniperi communis* optime convenit; non solum enim urinam insigniter movet, verum etiam cor et arterias incitat.

Quæ Sudorem cient.—Siquidem sudor, haud aliter atque urina, aliique humorum, qui mem-

branas *mucosas* madefaciunt, *hydropicis* supprimi solent; medicamenta huic eliciendo apta haud parum opitulantur. Quamvis autem hæc remedia nulli hydropis generi non conveniunt; potissimum aqua intercute laborantibus accommodantur. Utendum est *pulvere Ipecacuanhæ* et *Opii*, præparatis ex *Antimonio*, tepidario, vestibus laneis, et quæ sunt hujusmodi. Nemo tamen, rei medicæ peritior, hisce unicis confidere poterit.

De Vomitu.—Medicamenta, quæ vomere faciunt, ratione duplici proficiunt: nimirum, totum corpus concutiendo, non solum efficiunt ut humores secernendi et excernendi amplius secernantur et excernantur; verum etiam, ut vasa resorbentia stimulentur (hæcce sint venæ, an vasa *lymphatica:* utra enim eorum officio absorbendi fungantur, nihili refert; siquidem corpus vomitu exagitatum utraque incitaret, necesse est). Neque tamen semper vomitus *hydrothoracicis* proderit: si enim cor, aut vasa grandiora ei proxima vitiosa sunt, metuendum erit, ne molimina gravia inter vomendum edita, cordis ipsius diruptionem moliantur; fatumve, vasis pulmonis diruptis, infelici

inferant. Quoties hoc genus auxilii desideratur, aptissima sunt *Tartras Antimonii* et *Potassæ*, necnon radix *Callicoccæ Ipecacuanhæ*.

De Sputi moventibus. — Quum membrana *mucosa* fistulis spiritalibus circumjecta, æquo siccior est, *hydrothorace* tentatis, sputi moventia prosint, necesse est. Omnia, profecto, quæ ad membranas *mucosas* humores impellunt, in hydropem omnigenum valent. Quæcunque tamen ex his membranis hydropis sedi proxima est, remedia hujus arteriis secernentibus ciendis idonea, id genus hydropis potissimum, id est, præ aliis debellabunt. Quo fit, ut alvi purgantia *asciti*; sudoris moventia aquæ intercuti; sputi cientia *Hydrothoraci*, aptissima sint. Sputum optime provocant radix *Scillæ maritimæ*, Vinum *Tartratis Antimonii*, *Ipecacuanhæ* radix, vapor aquæ ferventis, cum spiritu acceptus, *ammoniacum*, atque alia notissima.

De Exulcerantibus.—Omnia fere auxilia medicinæ, quæ *hydropicis* auxiliantur, tanta plus opis afferunt, quanto magis humores ad membranas *mucosas* vel cutem impellant. Parum ju-

vare solet emplastrum *meloës vesicatorii,* eo quod parum laticis evocat: imo vero, interdum vehementer nocet, gangræna inferenda, ob habitum corporis malum, viresque fractas. Quod si hydrops, quem prosequor, inflammationi *pleuræ* vel pulmonis supervenit; si, citra robur contritum, spirandi difficultas maxime urget; neque æger adhuc consenuerit; cutem circa os pectoris exulcerare decebit. *Unguentum Tartratis Antimonii emplastro meloës vesicatorii* hic antecellit; eo quod *pustulas,* non *bullas,* gignit; ideoque rarius gangrænam movet. Quæ de exulcerantibus jam proposui, eadem fere de sanguine mittendo prædicare licet; remedii genere equidem, sæpius *Hydrothoracicis* inepto, vel pernicioso: quod tamen interdum proficit; maximeque si *pneumonia* aut *scarlatina,* venis minus æquo, aut non tempestive vacuefactis, in hydropem pectoris abierit.

De Paracentesi.—Si auxiliis medicinæ jam memoratis nihil valentibus, omnia in pejus ruant, et infelici vix anhelare liceat; laticem ope ferramenti educere oportebit. Cavendum, ne ar-

teriæ, venæ, nervique, *intercostalia* violentur; aut aër circumfluus introeat. Quem in finem, leges artis *chirurgicæ* sequendum erit: de quibus eo silere visum est, quod, apud omnes libros de eadem conscriptos, literis mandantur.

II. Causas evitare, arcere, aut subducere, opus est. Jecur duratum præparatis ex *hydrargyro* redintegrandum (exinde enim subinde nascitur *hydrothorax*). Quod ad cordis vitia, nulla hæc arte summoveri possunt. Potus meraci penitus fugiendi, nisi profecto ebriositas prægressa id ex integro fieri non sinit. Cibo concoctu facili vescendum. Vestitu laneo, cœloque frigido et humido evitato, halitus, quem arteriæ cutis spirant, eliciendus.

III. Inter convalescendum, vires refocillari debent, victu carneo, vino rubro Lusitanico: præparatis ex cortice *cinchonæ officinalis*, atque ex ferro; si æger regionem mediterraneam accolit, frigidario indies utendum; at si in loco maritimo habitat, mari submergendus est quotidie; nisi robur graviter labefactum id vetat, ambulare aut equitare, pro virium ratione decebit, citra fatigationem. Si consuetudo prava facit ut homo in-

citamentis vacare nequeat, *Alcohol* Oleo *Volatili Juniperi communis* mistum, et aliquanto dilutius, cæteris liquorum meraciorum antecellit; siquidem urinam evocat, simulque genus nervosum jucunde et leniter ciet.

FINIS.